

Alte Drucke

**THESES || THEOLOGICAE, || DE || ACERBISSIMO MVNDI ||
ODIO CONTRA VERITA-||TEM EVANGELICÆ DOCTRI-||næ, &
illius odij caussis. || Desumtæ ex dicto ...**

Tossanus, Daniel

Heidelbergae, 1592

VD16 ZV 31099

THESIS PRIMA.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148957



THE S I S P R I M A.

VM recrudescat in dies odium contra Orthodoxos, & Euāgelicam veritatem, nouæque persecutiones variis in locis conspiciantur: non intempestium videtur illius odij causas examinare, vt illis intellectis eò fortius veritatem amplecti pergamus.

II.

Nam & Christus ipse, seruator noster, talia se prædixisse pronunciat, ne offendamur, quando eueniēt, sed meminerimus quod hæc prædixerit nobis.

Iohan. 16.

III.

Nec dissimulat eò grauiore fore illas persecutiones, quod sub prætextu zeli erga religionem fient, & sibi persecutores persuadebunt, se cultum Deo præstare.

IV.

Vix enim vllus tam deploratus est, qui pro Dei, aut Diuini verbi inimico haberi velit: nec aliud ferè Tyranni olim persequentes Ecclesiam, crudelitatibus suis prætexebant, quàm quod Christianos iudicarent pestes humani generis, & nescio quibus nefariis superstitionibus deditos esse.

Vide Tertul. in apolo-
g Cypr.
contra De-
metri.
Arnob. li.
i. aduersus
Gent.
Iohan. 10.
Act. 17.

V.

Et Christo ipsi, dicebant Iudæi, *Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam*, vt & diuus Paulus, Per-
regrinorum Deorū annūciator habebatur Athenis.

V I.

Sicut hodie quoq; Orthodoxis hoc prætextu bellum indicitur, quod sint hæretici, quod ab Ecclesia defecerint, vel quod de Sacramentis, & aliis summis mysteriis, perperam sentiant, & doceant.

V I I.

Apolog.
cap. 3.

Id quidem à plerisque malitiosè fieri certum est, qui in viris innocuis Nomen damnant innocuum (vt loquitur Tertullian.) & cùm in eis laudare cogantur quæ sciunt, eisq; bonum perhibere testimonium, id quod ignorant, corrumpunt. Nomen odiosum damnant, & oppugnant, quia nominatur, non quia reuincitur. &c.

V I I I.

Cæterum cum de odio Mundi contra pios loquitur Scriptura, vt Matthæi 10. *Eritis exosi omnibus*: item Iohan. 15. *Mundus vos odio habebit*: non est hic sensus, quasi hominum odium, vel contradictio, sit sufficiens nota piorum, & Orthodoxorum.

I X.

Vt illis dictis sæpe abuti solent malè sentientes: inter alios Anabaptistæ in suis Canticis: Schvvenckfeldius, epistola 39, & 96: illud subinde inculcâtes se non esse de mundo, & ideò exosos passim, & ab omnibus ordinibus imperij, nostrisq; Ecclesiis damnatos: se denique pusillum illum esse gregem mundo inuisum, Deo gratum & acceptum.

X.

Sed Christus odium illud quod à piis contemni debet, nosq; beatos reddit, duabus notis discernitur, quarum altera est in subiecto, altera in obiecto.

X I.

Non quodlibet odium certè est contemnendum, nec

nec quælibet contradictio aspernanda, cum magna sit laus placere bonis, & magni facienda sint recta iudicia Ecclesiastica: sed prædicit nobis odium Mundi: & illud demum vult contemni.

XII.

PER MVNDVM autem intelligit totū illum cœtum hominum, siue Iudæi sint, siue gentes, siue alio nomine appellentur, siue potentes sint & splendidi, aut infimæ sortis homines, qui ductum Spiritus Sancti, & verbum Domini non sequuntur, sed sapiūt quæ Coloss. sunt terrena, & religionem amplectūtur imaginationibus carnis accommodatam, curis denique & voluptatibus huius seculi, magis sunt dediti, quàm meditationi rerum cœlestium.

XIII.

Mundus ille in tenebris versatur, & vt Christus ait, Iohan. 3. nec patrem nouit, nec filium, nec illuminatos habet Iohan. 16. oculos mentis; ideo auersatur lucem, & acerbissimo odio, siue odio violentiæ (vt loquitur Dauid Psal. 25.) quod in tetras excommunicationes, & crudeles lanienas erumpit, pios per sequitur.

XIV.

Nititur etiam præfidiis mundanis & carnalibus armis, quemadmodum de Arrianis sui temporis conqueritur Hilarius; *An Apostoli sibi aliquam, ad prædicandum à palatio sumebant dignitatem? Neronis se credo aut Vespassiani, aut Decij patrociniis tuebantur? Annon se tunc manifesta virtus contra odia humana porrexit? At nunc Diuinam fidem humana suffragia commendant, terret exiliis & carceribus Ecclesia, crediq; sibi cogit, quæ exiliis & carceribus est credita, fugat sacerdotes quæ fugatis est sacerdotibus* Contra Arrianos & Auxent.

propagata. diligi se gloriatur à mundo, quæ Christi esse non potuit, nisi eam mundus odisset &c.

XV.

Magnum itaque est discrimen inter Orthodoxos, quos Mundus odit, & nullo legitimo processu instituto persequitur, carnalibusq; telis oppugnat; & Anabaptistas, Schvvenckfeldianos & alios, qui ab omnibus reformatis Ecclesiis, præcuntibus sufficientibus admonitionibus, & sæpe erroris conuicti ex verbo Dei, reiciuntur, & piis omnibus merito propter pertinaciam in errore exosi sunt.

XVI.

Nam licet habeant Orthodoxi quoque suos næuos, & in nonnullis sit disciplina minor: maximum tamen est discrimen, si cum aliis comparentur (inquit Arnobius) siue mores, siue modum agendi spectes.

Lib. 3. ad
uersus ge-
tes.

XVII.

Ac illud est quidem prius discrimen à Subiecto sumtum, quod nimirum non quodlibet odium sed odium Mundi, sit & expectandum, & contemnendum piis.

XVIII.

Iohan. 15.
v. 19.

Si quis obiiciat omnes & singulos homines esse Mundum, aut partem Mundi: respondet Christus, verum id esse, si naturā spectes, sed per gratiam æternæ electionis, & postea vocationis in Ecclesiam, seligi & segregari nonnullos à mundo, ut sint Dei populus & peculium.

1. Pet. 2.

XIX.

Segregantur autem non locis semper, nec corpore, ut tempore D. Augustini insani Circumcelliones imaginabantur, qui se præcipientes dabant, & superstitioni Monachi humanam societatem deserentes putarunt:

tant: sed spiritu adoptionis & regenerationis, quia
videlicet Spiritum accipiunt, non huius mundi, sed
spiritum à Deo à quo innouati Idololatriæ & vanita-
tibus huius seculi valedicunt.

1. Cor. 2.

1. Ioh. 4.

Eph. 4. 22.

XX.

Vnde fit vt tanquam peregrini sint in mundo, &
rem peregrinam & prodigiosam videre se putet Mū-
dus, quod non concurrant regenerati, cum ipsis, ad
proteruias, comestationes, cultus simulacrorum &c.

1. Pet. 4.

XXI.

Altera nota, & causa eius odij, de quo hoc loco
Christus, est ab O B I E C T O: *id facient vobis* (inquit)
propter N O M E N meum: siue quia nec me, nec Sermo-
nem meum, id est, Euangelij doctrinam admiserunt:
& sicut me persecuti sunt, & fui quasi signum contra-
dictionis in mundo: sic & vos eritis.

Iohan. 15.

Luce 2.

XXII.

Non enim laudantur, aut martyrum loco censen-
tur, qui ob falsam doctrinam, vel propter malefacta,
hominum odium sibi accersunt, & persecutiones pa-
tiuntur: *neque Martyrem facit pœna, sed causa.*

August. ad

Dulcit. c.

pist. 61.

XXIII.

Verum præiudicij nihil affert veritati, vel piis, si
propter Christi Nomen, à quantumuis magna homi-
num multitudine oppugnentur: vt Iudæi Diuo Paulo
Romæ obiciebant, Christianorum Sectæ vbique
contradici.

Actor. 28.

XXIV.

Nec excommunicationum bruta fulmina timen-
da sunt. Memorabile est enim, quod ex Origene, à
Gratiano citatur: *Cum aliquis exit à veritate, à timore Dei,*
à fide, à caritate, exit de castris Ecclesiæ, etiamsi per Episcopi
vocem

Causa 24.

quæst. 111

Can. 9.

*vocem minimè abjciatur: sicut contra qui non recto iudicio
foràs mittitur, nec meretur exire, nihil per excommunicatio-
nem leditur.*

XXV.

Matth. c.v.
10. & 11.

Beati illi semper iudicandi (teste Christo) qui iu-
stitiæ causa siue vt sequente versu interpretatur, pro-
pter ipsum, & eius Euangelium persecutionem pa-
tiuntur.

XXVI.

Act. 9.

Illud quippe odium non tam in personam piorum
& credentium quàm in ipsum Christum redundat, vt
Sauli è coelis dictum fuit, *Saul, Saul, quid me persequeris?*

XXVII.

Ioh. 15.

Sicut expressè ait quoque Christus, *Hæc omnia fa-
cient vobis propter nomen meum, quia non nouerunt illum
qui misit me.* Item, *Hæc facient vobis, quia non nouerunt pa-*

Ioh. 16.

trẽ, neque me. Imò nec Christum venientem in no-
mine Patris, audire volunt, sed eos potius qui veniūt

Iohan. 5.

in nomine suo.

XXVIII.

Et ponitur Antithesis falsorum Prophetarum, i.
Iohan. 4. Quod illos nimirum mundus libenter au-
diat, quia sunt è mundo, & mundana loquuntur.

XXIX.

Gal. 4.
Colos. 2.

E MVNDO esse dicuntur, qui mundanis cupidita-
tibus nondum renūciarunt, & ad ea omnia se attem-
perant quibus Mūdus delectatur: MVNDANA verò lo-
qui quia doctrinā tradunt arridentē rationi humanæ,
& multis ceremoniis, pompis, aliisque rebus incur-
tibus in oculos plenam, & vt Apostoli verbis utamur,
ad egena elementa Mundi retrorsum conuertun-
tur.

Nomen

XXX.

Nomen porrò Christi, propter quod patiuntur pij complectitur doctrinam sinceram, tum de Persona ipsius, tum de officio.

XXXI.

Nam CHRISTI nomen non in Syllabis positum est: sed in cognitione eorum omnium, quæ nobis in Evangelio de Christo reuelata sunt. vide Ephes. 1. v. 17. 18. & Ephes. 4. ver. 20. 21.

XXXII.

Licet igitur pleræq; sectæ Christi Nomen profiteri videantur, & eius Nomen in ore habeant, *Si tamen diligenter quæ ad Christum pertinent, cogitentur*, (inquit Augustinus) *nomine tenus inuenitur Christus apud quoslibet Hæreticos: re verò ipsa non est apud eos: Soli Orthodoxi verè, & serio statuunt, nullum Nomen sub cælo Hominibus datum, per quod seruemur, quam Nomen Christi.*

Astor. 4.

XXXIII.

Alij enim vel de Persona Christi falsa docent, vt Arriani, Nestoriani, Eutychiani: alij contradictoria, vt Schvvenckfeldiani, & Vbiquitarij: alij Christi & Spiritus Sancti gloriam, & operationem cum creaturis diuidunt, vt Pontificij, & quicunque cum ipsis signis sacramentalibus, vel nostris operibus ea tribuunt, quæ sunt Christi & Spiritus S.

XXXIV.

Et quod deplorandum est, in multis pulpitis & multorum libris, sæpius audiuntur nomina hominum & eorum authoritates, quam Christi vel scripturæ: & Hæretici statim censentur, qui huius vel illius hominis Catechesin per omnia non admittunt, aut has vel illas, ab hominibus institutas ceremonias non vsurpant, licet de Persona & officio Christi, nec non de

B

cæteris Mysteriis, ex symbolis Ecclesiæ, & consensu
veteris & noui Testamenti doceant, simplicitatemq;
ceremoniarum à Christo institutarum in suis Eccle-
siis retineant.

XXXV.

Euseb. lib.
8. v. 10.

Imò eò furoris prolabuntur plerique, vt non armis
spiritualibus amplius, sed corporalibus, atrocissimisq;
calumniis, cōuitiis, & suppliciis disceptent: & quem-
admodum Maximini & Maxentij tēpore fiebat, libe-
rum sit impurissimis ex fece plebis, quaslibet iniurias
piis inferre.

XXXVI.

Iacob. 4.
Apolog. c.
43.
Philip. 2.

Illa non est sapientia supernè descendens: sed ter-
rena, animalis, Dæmoniaca: & nos maximè persequū-
tur (vt conqueritur Tertullianus) homines prophæ-
ni, Epicurei, Lenones, Sicarij, Magi, homines sua quæ-
rentes, non quæ sunt Christi.

XXXVII.

Nec excusationem habet Mundus, quādoquidem
aures obstruit veritati, & meris præiudiciis ac nescio
qua fide implicita nitens, vult decipi, & legitima iu-
dicia Orthodoxis denegantur: cum interim sit mani-
festum, quicumque præcipua aliqua sapientia, iudi-
cio, & æquitate præditi fuerūt (siue illustres Heroas,
siue Doctores Ecclesiæ spectes) postquam Scripta
nostra legerunt, eos nostris Ecclesiis æquiores esse
factos.

XXXVIII.

Ioh. 15.
Epist. 122.

Ceterum in tanta contradictione, petulantia, &
infectione mundi, animum piæ mentes desponde-
re non debent: cum (vt monet Christus) *non sit disci-
pulus supra magistrum. Non debemus* (inquit Augustinus)
*tam nobis esse contrarij vt credamus hæc quando leguntur, &
queramur, quando complentur.*

Neque

XXXIX.

Neque qui audit, sed qui facit conuitium, miser est: nec qui à fratre vapulat, sed qui fratrem cedit peccat, (vt rectè moner Cyprianus) nobis denique ignominia non est (inquit idem) à fratribus pati, quod passus est Christus: nec illis gloria est facere, quod fecit Iudas.

Lib. 1. E.
pist. 3.

XL.

Erigant nos illa quoque verba seruatoris: In mundo ^{Ioh. 16.} oppressionem habebitis, sed confidite ego vici mūdum: & illud Apocalypseos: descendit Diabolus ad vos ira magna ple- ^{Apocal. 12.} nus, vt qui sciat se paululum temporis habere: interim Salus, Virtus, & Regnum, & potestas est Domini nostri Iesu Christi.

XLI.

Licet itaque multus & magnus sanguis Martyrum ab initio mundi sit effusus: illo tamen effuso nihil profecerunt hostes Ecclesiæ, imò *tanquam semine copioso*, ^{In Psal. 58.} (vt scribit Augustinus) Ecclesiæ seges fertilius pullulauit, & totum mundum occupauit.

FINIS.

